

S m a a s t y k k e r .

I.

Ærkebispevalget i Lund 1361.

Ved *Kr. Erslev*.

Nedenstaaende Brev giver en detailleret Skildring af den kanoniske Fremgangsmaade ved et Ærkebispevalg og har ogsaa Interesse ved sin fuldstændige Angivelse af Lunde Kapitels Medlemmer i Aaret 1361. Det er bevaret gennem en Afskrift i Lundebogen (*Registrum ecclesie Lundensis*) S. 258, et Haandskrift, der nu gemmes i det svenske Rigsarkiv.

Decretum electionis domini N. archiepiscopi
Lundensis.

In nomine domini amen. Sanctissimo in Christo patri, domino suo, domino Innocencio, divina providencia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici, Nicolaus Jacobi prepositus, Henricus Bocholt decanus, Johannes Stigoti archidiaconus, Johannes Ryning cantor et capitulum sancte Lundensis ecclesie, sui humiles filii fideles et devoti, cum sui humili recommendacione devota pedum oscula beatorum. Cum propter vacationem diuturnam ecclesie pastoris solacio destitute gravia in spiritualibus et temporalibus dispendia paciantur, conditores canonum deliberacione provida censuerunt, quod ultra tres menses vacare non debeant sedes

cathedrales. Eapropter anno domini mcccclx primo xxiii die mensis januarii domino Jacobo, felicitis recordacionis, condam Lundensi archiepiscopo, Suecie primate, viam universe carnis ingresso, et ipsius corpore xviii die mensis februarii propter distanciam terre et loci, in quibus nature debitum exsolvens, ad nostram civitatem Lundensem cum debita reverencia apportato, ne ipsa ecclesia viduitatis sue incommoda diutius deploraret, fuit a canonicis in Lundensi ecclesia residentibus et presentibus, quorum nomina inferius aparebunt, xiiii^a dies mensis marcii, in continuacione sequencium dierum, concorditer assignatus ad electionem futuri pontificis celebrandam. Citatis interim absentibus canonicis in eodem termino ad capitulum Lundense, omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, in ecclesia nostra Lundensi ante majus altare juxta antiquum morem nos recepimus de electione futuri pontificis tractaturi. Tandem dominus Jacobus Jermer canonicus vice sua et omnium ac singulorum de ipso capitulo, mandato ab eis specialiter sibi facto, monuit omnes excommunicatos, suspensos et interdictos, necnon quos[cum]que alios, si qui essent inter eos forsitan, qui de jure aut consuetudine interesse in ipso electionis negocio non deberet, quod recederent de capitulo, alios eligere libere permittentes, protestans suo et aliorum canonicorum nomine, quod non erat sua vel aliorum intencio tales admittere, tamquam jus in electione habentes, aut procedere seu eligere cum eisdem. Ymmo volebant, quod voces talium, si qui reperirentur interfuisse, eciam si requisita essent aut requirerentur, postmodum nulli prestarent suffragium nec afferrent alicui nocumentum et prorsus pro non receptis seu pro non habitis haberentur. Tandem vero deliberacione habita, per quam formam esset in electionis negocio procedendum, placuit nobis omnibus et singulis per viam scrutinii eidem ecclesie providere; unde tres de collegio fidedignos, videlicet dominos Henricum decanum, Johannem cantorem et Jacobum Jermer, canonicos, concorditer duximus assumendos, quibus dedimus potestatem, ut secrete et singillatim vota cunctorum, primo tamen sua et postmodum nostra, exquirent diligenter, et eis in scriptis redactis, mox in communi eadem publicarent. Scrutatores

autem potestatem sibi traditam acceptantes ad unum locum honestum et secretum retro summum altare se trahentes, secrete et singillatim vota singulorum inquisierunt diligenter, sicut nobis postmodum retulerunt, primo adinvicem vota sua et nostra postmodum, prout a nobis habuerunt in mandatis, ipsisque in scriptis redactis, mox in communi eadem publicarunt. Quibus publicatis et collacione numeri, zeli et meriti subsequata, repertum extitit, nos omnes et singulos prelatos et canonicos Lundenses vota nostra in scrutinio in dominum Nicolaum Johannis, presbiterum et canonicum nostrum, unanimiter direxisse et concorditer in archiepiscopum Lundensem, Suecie primatem, eligendum, virum utique providum et discretum, sciencia, vita et moribus merito commendandum, in sacris ordinibus et etate legitima constitutum, de legitimo matrimonio procreatum, in spiritualibus et temporalibus plurimum circumspectum, quem dominus Jacobus Jermer, canonicus predictus, de mandato nostro speciale nobisque presentibus elegit sollempniter in hunc modum:

In nomine patris et filii et spiritus sancti, amen. Cum vacante ecclesia nostra Lundensi, evocatis qui fuerunt evocandi, et presentibus die prefixa omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, placuit omnibus nobis et singulis nostre Lundensi ecclesie providere per formam scrutinii, factoque scrutinio juxta formam concilii generalis et eo publicato et collacione habita diligenti repertum est, nos omnes et singulos concorditer et unanimiter vota nostra direxisse in dominum Nicolaum Johannis, presbiterum et canonicum, virum utique providum et discretum, litterarum sciencia, moribus et virtuosis actibus merito commendandum. in sacris ordinibus et etate legitima constitutum, de legitimo matrimonio procreatum, in spiritualibus et temporalibus plurimum circumspectum. Idcirco ego Jacobus Jermer, vice mea, sociorum et collegarum meorum, totius capituli ac omnium in ipsa electione jus habencium, ex potestate michi a toto capitulo tradita et concessa, invocata spiritus sancti gracia, ad honorem sancte et individue trinitatis, sancte Marie virginis et gloriosi Laurencii martiris, in quorum honore Lundensis ecclesia est consecrata, eligo dominum Nicolaum

Johannis presbiterum et meum concanonicum in nostre Lundensis ecclesie archiepiscopum, Suecie primatem, et eidem ecclesie provideo de eodem in hiis scriptis.

Electionem autem hujusmodi sic sollempniter celebratam nos omnes et singuli prelati et canonici approbamus, ipsamque gratam habuimus et acceptam, ac deinde Te Deum laudamus sollempniter decantantes dictum electum nostrum in episcopali cathedra intronizavimus juxta morem, et confestim electionem hanc clero et populo prefatus dominus Jacobus Jermer canonicus sollempniter publicavit. Postmodum vero, hujusmodi electione dicto electo per dominum Nicolaum prepositum et Henricum decanum de mandato nostro infra debitum tempus presentata, et petito ab eo, ut suum eidem electioni preberet assensum. Idem vero electus, nolens divine resistere voluntati, xv^a die mensis marcii predictos dominos prepositum et decanum, habentes ad hec a nobis mandatum speciale, iterum requisitus, ut electioni de se facte dignaretur consentire, habita per ipsum prius super hoc deliberacione diligenti, instanciis nostris quam plurimis devictus et quasi compulsus, electioni de se facte, ad laudem et gloriam dei patris omnipotentis, beatissime Marie virginis et beati Laurentii martiris gloriosi, tandem consensit, non tam timide quam devote. Ea propter sanctitati vestre tam devote quam humiliter supplicamus voto unanimi, quatenus electionem eandem sic sollempniter et canonice celebratam dignemini confirmare ac eidem electo nostro munus consecracionis favorabiliter impartiri cum tradicionem pallii in signum archiepiscopalis dignitatis, ut deo actore nobis et toti diocesi velud pastor ydoneus preesse valeat et prodesse, nosque et alii ejus subditi possimus coram deo salubriter militare. Ceterum ut beatitudo vestra cognoscat evidentius, vota nostrum omnium in predictis omnibus et singulis concordasse, ac in petitione hujusmodi existere unanimes et concordas, presens nostre electionis decretum sanctitate vestre transmittimus, nostris quidem juxta statuta canonica roboratum propriis manibus et subscriptum, quod etiam, ad majorem cautelam, per infra-scriptum tabellionem in formam publicam redigi fecimus et sigillis nostri capituli et nostris propriis sigillari. Acta sunt

hec anno, mensibus, diebus et locis supradictis, presentibus honestis viris et discretis dominis Petro Johannis sacrista Lundensis ecclesie et Johanne Nicolai persona ecclesie beati Botulphi Lundis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Deinde inferius sub manu notarii publici signatum est hoc decretum et nomina singulorum canonicorum subscripta in hunc modum:

Et ego Nicolaus Jacobi, diaconus, prepositus Lundensis, consencio et subscribo. Et ego Henricus Bocholt, presbiter, decanus Lundensis, consencio et subscribo. Et ego Johannes Ryning, presbiter et cantor Lundensis, consencio et subscribo. Et ego Joseph Nicolai, presbiter et canonicus Lundensis, consencio et subscribo. Et ego Jacobus Jermer, presbiter et canonicus Lundensis, consencio et subscribo. Et ego Magnus Thordonis, subdiaconus, canonicus Lundensis, consencio et subscribo. Et ego Petrus Botulphi, presbiter, canonicus Lundensis, consencio et subscribo. Et ego Johannes Bunkeflo, presbiter, canonicus Lundensis, consencio et subscribo. Et ego Jacobus Jermer, canonicus Lundensis, nomine procuratorio magistri Hemmingi, canonici absentis, consencio et subscribo. Et ego Nicolaus Pose, presbiter, canonicus Lundensis, consencio et subscribo. Et ego Paulus Laurencii, presbiter, canonicus Lundensis, consencio et subscribo. Et ego Nicolaus Pose, presbiter et canonicus Lundensis, nomine procuratorio domini Heynonis, canonici absentis, consencio et subscribo. Et ego magister Nicolaus Kanuti, presbiter, canonicus Lundensis, consencio et subscribo. Et ego Nicolaus Erlandi, subdiaconus, canonicus Lundensis, consencio et subscribo. Et ego Ericus Sualleri, presbiter, canonicus Lundensis, consencio et subscribo.
